

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Locus à contrario. Cap. XXXIIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

bus & propugnaculis careat, facile in hostium potestatem venit; ita animam, quæ precibus munita nō sit, nullo negocio redigit diabolus in ditionem suam.

Locus à dissimili. Cap. XXXIII.

**D**ISSIMILITV DINES pleraq;<sub>z</sub> explicantur in libro Proverbiorum: lustorum, inquit, semita, quasi lux splendēs, præcedit, et crescit ad perfectā diem: via impiorum tenebrosa. Nos, qui breuitatem habemus propositam, quomodò hic locus à dissimili, posset ad usum reuocari, dicamus: Hæreticorum est, ab Ecclesia sancta recedere, noua dogmata configere, doctores scholasticos cōtemnere; nos catholici, Ecclesiā sequi magistram, vetustatis castissimos limites nō transire, scholasticos doctores venerari debemus. Alia etiam ratione: Sapientes huius seculi plerung<sub>z</sub> ita vixerūt, vt eorum vita à præceptis, quæ alios docebāt, discreparit: nos qui in Christiana & celesti philosophia versamur, demus operā oportet, vt quæ docemus, exemplo & vita sanctitate comprobemus.

Locus à contrario. Cap. XXXIV.

**S**E QVITVR locus à contrario, cuius magnus est usus, siue aliquid confirmare aut refellere, siue probare & illustrare Ecclesiasticus orator studeat. Quatuor sunt contrariorum genera; Aduersa, vt Ciceronis verbo utar, priuantia, relatiua, (hoc liceat vti vocabulo, vt facilius res explicetur) & contradicentia.

Ab Aduersis.

Ab Aduersis Ecclesiasticus orator sic poterit argumentari. Superbiam, peccatorum omnium matrem sci-  
mus

mus; humilitatem igitur, fundamentum omnium virtutum, amemus. Pax cum immanissimo Turcarum tyranno neque tuta est, neque honesta; bellum igitur iustissimum, ab omnibus Christianis principibus contra communem hostem geratur. Sanctus Basilius ita eleganter loco à contrario est usus: Hac compare inter se, ut ieunium ad Deum adducat, ut salutem deliciae adimant: Quid Esau profanauit, & fratris seruum effecit? an nō esca vna, propter quam primogenita vendidit? an non Samuel, orationis & ieunij gratia, matri donatus est? Abstinemus ab exemplis, à sacris literis sumptis, quia copia eorum obruimur, & perspicuitati studentes, clericos nolumus vel obscuritate, vel prolixitate fatigare.

## A Priuantibus.

A Priuantibus hæc est formula: Vt lux cælestis patriæ est amabilis & experèda; ita tenebrae inferni sunt odiosæ & fugiendæ. Misericordes, dicit Dominus, misericordiæ consecuturos: qui igitur misericordia carebunt, misericordiam nullam consequentur. Quamobrèm quodam in sermone sanctus Chrysostomus ostendit, neminem appellari posse miserum, nisi qui misericordia caret, & animæ sua non est assuetus misereri.

## A Relatiuis.

A Relatiuis sic dicitur argumentum: Laudandi sunt, qui discunt ea, quæ ad Christianam religionem pertinēt: multò magis, qui docent: quod argumentū amplificandū est hoc tempore in Ecclesia Dei, et excitandi sunt auditores ad suscipiendum laborem docendi pueros, ea quæ ad sanctā Christi religionem pertinent. Hic locus explicatus

est apud Malachiam illis verbis: *Filius honorat patrem,*  
*& seruus dominū suum; si ergo pater ego sum, vbi est ho-*  
*nor meus? & si dominus ego sum, vbi est timor meus?*

## A Contradicentibus.

Contradicentia, siue contradictoria, quæ Latini dis-  
 parata nominant, sunt affirmatio & negatio eiusdem rei  
 de eodem subiecto: quorum alterū ait quid, alterum ne-  
 gat; ut sapere, & non sapere; si hoc est, illud non est; Chri-  
 stum diligit, qui eius praeceptis páret; qui non páret, non  
 diligit: qui ex Deo sunt, hoc est, qui Deum patrem agno-  
 scunt, verba Dei audiunt; qui non sunt, non audiunt; fa-  
 bulis aut theatris libentius intersunt, quam concionibus.

## Locus ab Adiunctis. Cap. XXXV.

**L**OCVS verò ab Adiunctis, personarum & rerum  
 attributa omnia pènè complectitur: sic describuntur  
 Adiuncta, quæ cum re sunt coniuncta, ut locus, tempus,  
 vestitus, comitatus, apparatus, colloquia, in incessu veloci-  
 tas, rubor, pallor, & cæt. quæ rem magis exprimunt, &  
 actiones aut meliores, aut deteriores efficiunt. Valebit  
 ad rem illustrandam & amplificandam hic locus pluri-  
 mū: verbi causa, orator reprehēdens eos, qui in Eccle-  
 sia ambulante, ita dicet: *Quid agitis miseris domum Dei*  
*facitis speluncā; coram regē regū deambulatis attoniti,*  
*quasi eum non agnoscatis, partem in aliam oculos verii-*  
*tis; diebus Dominicis, quibus consideranda sunt innume-*rabilia, quæ accepimus, beneficia, stulti nimium nihil mi-**  
*nus cogitatis, genio indulgetis, aleis, iocis, detractionibus,*  
*saltationibus dies Deo dicatos consumitis. B. Basilius hunc*  
*locum*